

Quibus literis reverenter susceptis atque perlectis et eodem fratre querelam, propter quam venerat, pro his per se direxerant deponente et istanter^{d)} de ipsius, quod^{e)} tulerat mandati exequutione precante, scripsimus domino Symoni de Policastro, ut supra predictis per se responsurus et pariturus iusticie apud Cutronum se imperiali curie presentaret. Qui vicesimo secundo mensis ianuarii Cutronum veniens et coram nobis in imperiali curia dicte rei causa comparens, cum prescriptum imperiale mandatum legi sibi assidentibus nobis venerabilibus Cotron(iensis) et Strong(ulensis) episcopis et iudice Leone Manduca multisque aliis probis hominibus Cutronis in plena curia fecissemus, et memoratus venerabilis abbas pro parte monasterii sui presens et se esse paratum cum beneficio curie probare, quod proposuerat, asserens iusticiam sibi et suo monasterio iuxta imperialis mandati tenorem de ipso fieri postularet, breviter ipse respondit, quod non deberet obiectis sine venerabile Catatense^{d)} episcopo fratre^{f)} suo, per quem se ipsa, de quibus impetebatur pascua, possidere dicebat, aliquatenus respondere. Inde nos utrique parti aptum locum et terminum prefigentes vicesimo quinto predicti mensis die iuratos ac ceteros^{g)} sapientes et fideles homines regionis ipsius, per quos rei veritas sciri posset, apud Sanctum Petrum de Cachin. obedientiam Sancte Marie Latine^{h)} fecimus convenire, ubi in imperiali curia coram nobis partibus constitutis presentibus quoque venerabilibus viris domino Dionisio archiepiscopo Sancte Severine, domino Philippo episcopo Sancti Leonis, viro nobile comite Ricc(ardo) Falluca, domino Leunto venerabili abbate Flaiani, iudicibus Sancte Severine et Policastri et multis aliis clericis et laicis tam de metropol. et Rocca Bernardy^{d)} quam de Policastro et Casali Sancti Mauri, quos adunari, ut predictum est, feceramus ad perhibendum testimonium veritatis. Perlecto iterum imperiali mandato, quia pars Floris ipsa, de quibus agebat pascua, et usum mandre cum ecclesia et tenimento Castellacii se possidere dono et concessione Sancte Severine ecclesie proponebat, primum a venerabile archiepiscopo, ab archidiacono et primicerio suo, qui simul aderant, querendum duximusⁱ⁾, si hoc ipsi legitime prout ecclesia sua pridem possederat, Florensi monasterio concessisset. Qui pariter responderunt veraciter ita esse seque et alios de ipso capitulo universos canonice et sollemniter sub censu annuo dedisse et concessisse monasterio Floris ecclesiam et tenimentum Castellacii cum certa sede et certis pascuis unius mandre ovium ac universis pertinentiis suis sicut

XIV. d) *M darüber et getilgt M* e) *übergeschrieben M* f) *frate M* g) *ceeteros M* h) *i) duccimus M*